

Sacratissimae Majestatis, quam infrascriptis: Statuum et Ordinum Dominis Commissariis, sub eodem tenore dandam, in Libera Regia Civitate Varasdiensi instituatur.

§. 2. Pro qua quidem effectuanda finaliterque terminanda Commissione, Praesidem et Collegas sua Majestas nominat; Reverendissimum Dom. Joannem Thelegdy Archi-Episcopum Colocensem, aut eo impedito Reverendissimum Georgium Lippay Episcopum Vesprimensem, Egregios item Thomam Mikulich, Sacrae Caesareae Regiaeque Majestatis Personalis Praesentiae in judiciis Locumtenentem et Consiliarios, Casparum Lippay Domini Judicis Curiae Magistrum Protonotarium, ac Petrum Spolarich. Non obstante unius vel alterius absentia: In cuius locum Dominus Praeses alium substituendi habebit autoritatem.

§. 3. Ut autem sua quoque Sacratissima Majestas, suos ea in parte Commissarios, personas utpote non interessatas ordinare; et stante adhuc hac Diaeta, dictae Commissionis terminum denominare dignetur; Status et Ordines supplicant humillime. *)

Circa militem Germanum in Arce et Civitate Varasdiensi constitutum et querelarum Domini Bani per Commissarios fienda complanatione.

Articulus 34.

Et cum praemissam Valachorum restitutionem et resignationem, Militis Germani ex Arce et Civitate Varasdiensi, loco scilicet sedis Judicariae Comitatus Varasdiensis, juxta Anni 1608. Art. 12. ante Coronationem et Anni 1609. Art. 27. eductio; Universarumque querelarum Illustrissimi Domini Comitis Sigismundi Erdödy, praefotorum Regnorum Croatiae et Sclavoniae Bani, quas contra eundem Militem Germanum, occasione Jurisdictionis suae, in praefatis Arce et Civitate Varasdiensi exposuisset, complanatio consequatur; per eosdem Dominos Commissarios realiter effectuetur et complanetur. **)

Bona Caproncensia juxta Constitutiones Regni, Fisco Regio et jurisdictioni Regni restituenda et per Commissarios applicanda esse.

Articulus 35.

Praeterea cum bona Caproncensia, quae jam per Capitaneum ejusdem loci in praejudicium Regni Hungariae Coronae possiderentur, juxta Art. 43. Anni 1542. Fisco suae Majestatis Sacratissimae Regio applicata; ac juxta Anni 1618. Art. 33. Jurisdictioni oneribusque Regni in Dicis Regiis et Contributionibus solvendis, gratuitisque laboribus praestandis ac Decimis, instar aliorum Regnicolarum, subjecta fuissent; juxta eosdem Articulos ac praesentem Regni Constitutionem, Fisco Regio, Regniique praemissae Jurisdictioni et oneribus applicantur; et Dominis praefatis Commissariis applicari committuntur. ***)

*) Allegatur et urgetur; An. 1638. a. 51. An 1655. a. 66. An. 1715. a. 113. in princ. Ubi complures de hoc negotio allegantur artt. Confer. etiam, An. 1741. a. 51.

**) Urgetur; An. 1638. a. 51. Effectuatio promittitur, An. 1647. a. 54.

***) Allegatur et urgetur; An. 1638. a. 51. Renovatur; An. 1659. a. 100.